labor onus leve. suave iugum. crux iuncta. Huius rei sacramentum est quod in ecclesiarum dedicatione depictas in parietibus cruces oleo sancto pontifex linit. Sic et olim cum abrahe dictum est tolle filium tuum quem diligis ysaac et offeres eum mihi in holocaustum. labor factus est in precepto. Oblatus siquidem ysaac sacrificatus est. non mactatus. Et tu ergo si vocem domini audieris interius in animo et dicatur tibi ut offeras ysaac tuum quodcumque gaudium immoles deo. interpretatur enim gaudium seu risus fidelitatis et constantie obedientie ne timeas. Nimirum et si rem grandem dicitur tibi propria facere debes. et obtemperandum est per omnia et si oportuerit ipsum ysaac iugulari. Hunc autem quodcumque quod affectio propria iudicet securus esto. non ysaac sed aries morietur. non peribit leticia. sed contumacia. cuius utique cornua vepribus herent et sine punctionibus anxietatis esse non potest. Temptat enim te dominus deus tuus. nec mactabitur ysaac ut opinaris. vivens vivet sed elevatur utique super ligna ut in sublime gaudeas. nec in carne propria sed in cruce domini glorieris. per quem crucifixus et ipse es. sed crucifixus mundo. nam ei vivis.

XLVI

Hec nimirum conversatio perfectorum. hec sanctorum vita. hec hec gratia spiritualis. Denique tamquam tristes inquiunt semper autem gaudentes. tamquam nichil habentes et omnia possidentes. tamquam morientes et ecce vivimus. Quia videbant me foras fugientem a me dicit et filia regis. ea utique cuius gloria omnis ab intus. Unde et clamat in cantico canticorum adolescentulas revocans. quas exteriori sua in compositione deterritas videt. Nigra sum sed formosa filie ierusalem. sicut tabernacula cedar. sicut pellis salomonis. Nolite me considerare quod fusca sim quia decoloravit me sol. ac si manifeste spiritualis quispiam dicat. tenuas et infirmas exhortans mentes. Quid laboriosa queque et humilia conversationis nostre tam sedule numeratis. Saga cilicina sunt et pelles arietum rubricate. quibus interior ille splendor et interna regni gloria. ut illesa a pulveris et imbris iniuria conservetur. Nolite me considerare quod fusca sum. nolite pavere. nolite mirari. Neque enim tristicie aut necessitatis est exterior iste neglectus. et nigredo forinseca. sed occulta splendoris et exultationis interne. Decoloravit inquit me sol. lux interior. exterioris impaciens. Nimirum ignis

+ Nigra sum sed formosa. expone pulcherrime.